~~Edors~~
Erdo-
dy, com-
itis, e-
pisco-
pi
in
alma-
Polono-
rum
Metro-
polim
ingres-
sus.
Varsav.
1720.

Wymiana od hr Józefa Tyszkiewicza 1902

num

Chapt
Ossol.

n

Ac

Inny egz. niż. Estr. XV, 318

FESTA ELISÆ
Sive
NARRATIO HISTORICA
ILLIUS FESTIVITATIS
QUAM
HONORI
ELISABETHÆ
Augustissimæ Romanorum Imperatricis,
FELICI AUGURIO REGNANTIS
POLONICÆ NOBILITATI
Dedit
In
Festa Divæ Ejusdem Patronæ luce
Reverendissimus, Illustrissimus, & Excellentissimus
LADISLAUS ADAMUS
Comes ERDOEDY, De Monyörokerek
EPISCOPUS NITRIENSIS
Sacræ Cæsareæ, Regiæq; Catholicæ Majestatis
A
SANCTIORIBUS CONSILIIS
Ad
Centuriata Regni Polonici Comitia Legatus Cæsareus



Die undevicesimo Novembris, ANNO 1720.
Authore N N.



D Diem XIII. Kalen. Decembreis Excellentissimum Oratorem Cæsareum vidit tertium Varsavia, & obstupuit. Erat is Sacer D. ELISABETHÆ, Augustissimæ Romanorum Imperatricis felicissime regnantis assumpti in Baptismo, ut Ecclesiastico vocabulo loquar, nominis Patronæ. Senatorius, Equestris, & Militaris ordo, Principum, Comitum,& aliorum Ministrorum Feminæ Nobilissimæ Matronæ, tam Polona,quam extera,quæ hic degit, Nobilitas maximam partem superioribus diebus ad hec rogati in Oratoriam Domum ascenderant, cum ut Augustissimæ Imperatrici de anuua hac Patronæ suæ luce feliciter recurrente in Excellentissimo Oratore gratularentur, tum ut festis hunc diem jocis, ac plausibus apud eundem in coena celebrarent invitati. Festivitas initium ducebat circa VII. vespertinam. Ante palatij portam, pone gradus, perque ipsum atrium explicatus in armis stabat Prætorianus pedes, qui multitudinem averteret, ipsas quin adeo cubiculorum interiorum fores necesse habebant excubitore milite defendere, ni pati plebis molestiam, atque impetum vellent IV. Cubicula præter ea, in quæ honoratiores ex Urbe hospites deducebantur, ampla, spatiosa, aulæis Belgicis, belluatisque tapetibus instucta, referta Principibus, Senioribus, Ducibus, Nobilibus Viris, ac Feminis conspiciebatur; cIɔ. in his faces ardebant Virgine è cerà confectæ; ininteriori in quod prospectus per omnia alia dabatur Cæsaris sub umbella, in tertio Augustæ Conjugis imagines ex Opticæ legibus scite pictæ emicabant ut oculos mirifice afficerent spectatorum. In anteriori, quod omnium quoque maximum, IX. ex ordine mensæ numerabantur, quorum principaliores duæ XXX Personas, ac plures caperent; reliquæ minores erant. Nulla in his vasa, nisi argentea; ciborum autem, nec non generosissimi vini Tockaici tanta ubique copia, & affluentia,

entia, ut conjuncti sua dona animis Dij omneis, Deaeque certatim intulisse credi potuisset. Quidquid in Silvis Diana, Pomona in hortis hac anni tempestate, hoc loci possident, ibi reperiebatur. Sed & adducta alio, quae hic haberi n n poterant, Tethyos, Bacchique Patris munera. Dulciarii fructus, herbæ, aromata saccharo condita, comparata in cumulos varios variis locis montes, aras, templa, peristylia, lucos, animalia, Guelfebytancs inprimis Leones, Romanasque Aquilas, victrices, bicipites super universa eminentes efficiebant, quibus mensæ omneis, etiam minores, sic consitæ erant, ut, qui ex adversa parte sedebant, oppositos sibi propter nova hæc conditiciorum fructuum juga contueri non valerent. Inde quod cuique, quantumque arridebat, edebat, non modo, si mensæ assidebat, sed etiamsi eandem circumstabat haud invitatis, nullo invidente, plurimis, imo, ut ederet, amice rogantibus. Audivi die altero e Polonis quempiam, qui adfuerat, fatentem hoc primo apud Excellentissimum Legatum Cæsareum instituto convivio gentem suam in admirationem plane raptam fuisse, dixisse complures, non vidisse se alibi, ubi tanta rerum omnium copia affluere, tamque profuse omnibus omnia, etiam adstantibus, offerrentur, & liberaliter. Ad latus a pavimento ad tabulatum usque per loculos ordinata cernebatur alia Oratoris supellex argentea, ingentes pateræ, lavacra, fontes, patinæ, ignitabula, pelves, Satyri, Nymphæ, omnia auro obducta, omnia Excellentissimi Oratoris insignibus notata, ad pompam, & magnificentiam exposita. Ad orientem, quâ parte aditus in cubiculum datur, theatrum surgebat, per quod dispositi pulchro ordine Musici Regij, Oratorijque jucundis concentibus, coenantium aures svavissime demulcebant. Mensis sublatis hic chori postea, qui prius alibi, ducebantur ab omnis ætatis, sexus, ac conditionis Nobilibus, qui in alterum usque diem ad III. Vigiliam protracti fuere, tum denique cessatum, & abitum maxima Polonicæ Gentis, cujus in gratiam instituta præcipue hæc solenitas fuerat, Approbatione, & Applausu.





